

Wilfried Stroh:

Valahfridi Monacensis de itinere suo ad Moscuenses commentariolus

Constantinopoli sub dicionem Turcarum redacta urbs uestra, Moscuenses, non sine causa se Romam Tertiam iactare coepit. Tamen, ut Romani Byzantini illi olim Graecissare sermone numquam desierunt, ita uos Moscuenses successores eorum Latinitate paene despecta diu Ruthenicam linguam unam celebrabatis, donec sub Petro Magno (nobis Germanis e fabula musica Alberti Lortzing *Zar und Zimmermann*, i.e. de Caesare et Fabro, optime noto), ut Horati uerbis utar, Latium Ruthenos *feros cepit et suas artes intulit* Moscuae. Nam postea saeculo undeuicesimo certe floruisse apud uos gymnasia humaniora iam paene puer didici ex immortalis carmine Pushkinii de *Eugenio Onegin*, ubi tamen poeta de quadam barbarie etiam tum serpente queritur (I 6):¹

*A! populus Latias parui facit iste loquelas
atque artes, si non dicere uera pudet.
Eugenius tamen inde sibi quaedam hausit, ut apte
sermoni insereret dicta Latina memor.
Ac Iuuenalem acrem docte laudare iuuabat
et sub epistoliis scribere saepe VALE.*

Sic poeta ingeniosissimus iocatur, qui tanto opere Ouidium aliosque poetas Latinos dilexit. Vigebant certe eo saeculo studia Latina in Ruthenia, unde nobis quidem maxime innotuit Thaddaeus Zielinski origine Polonus, professor tamen Petropolitanus, quem propter immensam uariamque scientiae copiam unice semper admiratus sum cuiusque in memoriam abhinc duo tresue annos etiam orationem sollemnem habui paene ad ipsum eius sepulchrum, quod ad Lacum Ambronem in Bauaria nostra situm est. Mihi autem, cum Latina studia e cathedra profiteri coepissem, etiam magis profuit Michail Pokrovski professor Moscuensis, cuius disputationem doctissimam s.t. „Noui de Ouidi ingenio commentarii“² immerito obliuione obrutam a. 1979 in lucem protuli argumentisque additis firmaui.³ Unde mihi, quod paene doleo, maior honor in re publica litterarum uenit quam auctori meo Rutheno.

Quantopere igitur omnes qui in Europa occidente sunt dolebant, quod post eursionem rerum m. Octobri a. 1917 in Ruthenia factam paene omnia studia humaniora e uestris scholis sublata iacebant, tantum in academiis philologia classica ut una e traditis disciplinis liberalibus supererat. Quod malum post bellum maximum secundum etiam in Germaniam orientalem, quae se *Ciuitatem Popularem (DDR)* dixit, irrepebat. Quare cum a. 1988 Michail Gorbatchowio duce, qui tum nobis quasi soter aliquis, ne dicam angelus caelestis uidebatur, maior libertatis aura adspirare populo Ruthenico coepit, audax consilium – nolite ridere, Moscuenses – cepi, nempe ut una cum Francisco Iosepho Strauss tum praeside ministrorum Bauariae, qui mihi fautor amicus erat, Moscuam adirem rogans, ut Michail ille pro humanitate sua precibus nostris adductus Latina studia in scholis locum daret. (Erat enim Strauss ipse ardens Latinae linguae amator, quam et loquendo et scribendo exercebat.) Male tum factum est quod Strauss subita morte abreptus est, optime autem quod haec res nostro consilio et conatu non iam egebat. *Sponte fluunt matura sua*, ait Comenius magister Latinus optimus Ouidium secutus: Iam uos ipsi Rutheni noua libertate ad restituendas bonas litteras usi estis. Quare iam post breue tempus Alexander Podossinov collega semper amicissimus mihi

¹ Transfero e uersione Germanica lepidissima, quam fecit Ioannes a Guenther: A. Puschkin, *Ausgewählte Werke*, uol. 2, Berolini 1952, p. 13.

² *Neue Beiträge zur Charakteristik Ovids*, Ruthenice 1907, Germanice 1910.

³ „Ovids Liebeskunst und die Ehegesetze des Augustus“, *Gymnasium* 86, 1979, 323-352.

nuntiauit iam in nonnullis gymnasiis rediuiua ualere studia Latina, quae ipse quoque suis libris didacticis non mediocriter auxit.

Quare cum anno praeterito idem Alexander, qui dudum etiam membrum est Monacensis nostrae *Sodalitatis LVDIS LATINIS faciundis e.V.*, me hortaretur, ut in Roma Tertia uestra Romanorum lingua usus scholas de Graecis Latinisque litteris explicarem, nullo modo id negare potui, quod iam in pristinis meis uotis erat. „Sed uolentne me scholares Moscuenses Latine disputantem audire? Non ridebunt aut contemnent?“ Noli timere, Alexander inquit, arrectis auribus te auscultabunt. *Nec mihi falsus erat uates*: Fere nusquam ego in Germania nostra aut aliis terris occidentalibus tam indefessos auditores habui quam mihi in uniuersitatibus Moscuensibus contigerunt: taciti illi sedebant, fulgebant oculi, uolabant calami, ardebant animi, immeritis plausibus ieiunissimas scholas meas, tamquam Netrebko aliqua cantauisset, excipiebant. Hancne gentem quisquam a Tiberinis Camenis alieniorem credat? Non inter populos Latinissimos numeret? Accessit quod etiam in sermonibus conserendis collegas Moscuenses faciles humanos expedite facundos inueni. Quam multa Latine iocabar cum Gregorio Belikov Musarum amico, omnium horarum homine, quam multa tam diserte quam erudite disputare licebat cum Alexio Belousov plurimarum artium uiro peritissimo. Eos enim mihi quasi comites assiduos cura Alexandri addiderat, ne aut in autocinetorum ubique grassantium rabie suffocarer aut in labyrintho metropolitano frustra aliqua fila Ariadnea quaererem. (Iuuat tamen, iuuat ire *sub uiscera terrae*: uix dicere possum, quot ibi signa uariis artibus picta sculpta tessellata admiratus sim. Urbem sub urbe paene pulchriorem spectare mihi uisus sum.) Accessit socia etiam per duo dies Catharina Ilyushechkina, quae decem abhinc annos in academia Monacensi me duce litteris neolatinis studuerat, nunc ipsa dux strenua uiarum ambagumque multarum extitit. Sed ohe!

*Iam modo iam possim, noto requiescere lecto
nec semper longae deditus esse uiae,*

ait Tibullus, si memini. Non semel adstipulatus sum amico Deliae. Nam ut uere fatear, longissimae sunt uiae uestrae, Moscuenses, ut non iniuria me libellus doctus, quem consulueram, antequam Monachio profectus sum, monuerit: „Moscuam si adire uis, calceos bonos tibi compara.“ Nam in quot uniuersitatibus quot mihi theatra siue auditoria adeunda erant! Ne dicam de multitudine fororum, platearum, templorum, statuarum, pantopoliorum, quae ei qui primum in istam urbem uenit, quasi sollemni officio uisenda offeruntur. Quis in tanto rerum apparatu de calceis cogitet!

Etiam in gymnasium trahebar, ubi pueri puellaeque diuersae aetatis, sed omnes tirones impuberes, e quattuor infimis classibus in unum oecum constipati Latino sermone instituendi erant. Opus hercle difficile! Vix ego paruulos illos e stupore infantiae excitauissem, nisi diuinitus instinctus quaesiuissem ex eis, num quem post Petrum Magnum Catharinamque eodem cognomine dignam tertium Ruthenum in numero Magnorum haberent. Tunc una e nasutioribus *Vladimirum Putinum* ridens nominauit. Quod nomen statim ingens clamor atque adeo tumultus secutus est. „Eumne tu Magnum? Raptorem, latronem, perditorem patriae!“ Vix credibile erat, quam hi puelli puellaeque ira quadam commoti subito deserti et paene Latinissimi extitissent, ut recte Aquinatem dixisse sentias: *facit indignatio uersus*. Mirabar tamen. In Germania quidem uarie de Putino illo homines iudicant, plures fortasse peius sentiunt, Ruthenicam iuuentutem fidelius credideram deditam esse suo praesidi. Sed tamen alios quoque audiui pridie Non. Nou., die Rutheniae Vnitae, nomen *Putini* sui cum summo amore, *Americae* contra cum abominatione exclamantes. Qui cum id ad ipsam statuam siue monumentum, perpulchrum sane, Caroli Marx facerent, tacite gauisus sum talem etiam nunc manere concordiam inter zelotas inflammatos Rutheniae et philosophum illum Germanum, cui, ut nostis, Latini poetae tam noti quam cari fuerunt.

Nolo iocari in rebus seriis. Sed id mihi semper certum fuit, e quo tempore adulescens aut puer Tchaikovskium et Shostakovium audire, Pushkinium, Lermontovium, Tchechovium, Gogol, Soshtchenko multos alios legere et in deliciis habere coepi, esse quendam amorem perpetuum inter populos Ruthenorum et Germanorum. Quare semper dolebam, quod mihi adeo non licuisset uestram linguam ediscere, ut ne litteras quidem Cyrillicas eheu satis teneam. (Quod pro me tamen Fannia filiola nostra etiam in uniuersitate Lomonosoviana studiosissime fecit.) Ergo ualde me mouit, quod in odeo illo splendidissimo, quod uestri conseruatorii pars est, ubi modos tam Ruthenicos quam Germanicos a symphoniacis egregie exhibitos audiui, in parietibus uno excepto solum ex his duabus gentibus musicorum uultus depicti sunt. Et quantos etiam Italia uel Gallia musurgos protulerunt! Ergo Moscuam in urbem uestram, ut uerissime fatear, Nouembri mense praeterito me non modo studium Latinarum litterarum, quas ibi optime coli uidebam, rapuit, sed etiam uetus quidam amor desideriumque aliquando Tertiae illius Romae uisendae tam praeclarae, tam multis suis alienisque artibus excultae. Nec paenitet. Iure ac merito igitur Alexandro Podossinov collegae optimo, qui ut id fieri posset omni studio contendit, ex animo summas ago gratias.